



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Alexander Ep. 11. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. ALEXANDER EP. II. Augusti.

IN uno vultu & Philosophum, & Carbonarium, & Episcopum, & Christi Martyrem agnosce. Poterat equidem ALEXANDER inter sapientia candidatos facile princeps esse, cum ipsi jam honores suum clientem ambirent. Sed maluit ille honestiore ambitu sordidatus cælum prensare & inter silvas abditus, quibus stultissima mundi vota notaret damnaretque, carbones facere. Interea advenit Gregorius Pont. (is qui à magnis mirisq; factis nomen habet) Comanis Præsulem daturus. Hic cum omnium vota in opulentos & genere ac clientelis nobiles spectarent, unus Gregorius virtutem potius ait in solium extollendam, ubi ubi demum illa etiam sub lacero pallio latitaret. Quin igitur (cum risu è turbâ nescio quis subdit) dictatorem ab aratro nobis, aut certè à carbonibus suis ALEXANDRVM adduci imperas, splendentemque jam antè à rogo suo infulâ insuper exornas? Enimverò Numine ita suggerente jubet adduci hominem Pontifex: mox indolem & modestiam aliùs æstimans pro imperio vitæ ordinem sibi explicare; eâ intellectâ & sordibus abstersis mitrâ indui, indutum ad concionem dicere jubet. Tunc enimverò ALEXANDRVM Præsulem suum cives jam non inviti salutarunt, finiitque cum plausu fabula. Ille cum sanctè diu munus suum administrasset, à fidei hostibus demum igne exustus iterum carbones dedit, sed quibus Ecclesia hunc diem pulchrius quàm gemmis suos olim antiquitas signat. *Ex S. Gregor. Thaum. & Virid. Rader.*

Omnes delectat celsitudo; sed humilitas gradus est.

Quid

II. Aug. VITÆ SANCTORVM. 391
*Quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non ascendere,
à gradu incipe, & ascendisti.* Aug. epist. 18.

S. SUSANNA VIRG. MART.

II. Augusti.

VNam lex vetus nobis SVSANNAM laudat, pu-
dicitiae matronalis exemplar; multò rectius
nos alteram, virginitatis speculum & post sangui-
nem pro Christo fusum longè pulchriorem illâ
alterâ. Quare oculos etiam Maximiani in se, sed
longè antè Christi rapuit; cuius thalamo ut ser-
varet sese, illius amores contempsit. Quid, quòd
eos, qui conciliare SVSANNAM Maximiano adla-
borarunt, prius SVSANNA Christo conciliavit?
Eam ob rem cum grave virgini certamen immi-
neret, ab Imperatrice Serenâ (Christo clam jam
tunc addicta hæc erat) in aulam evocata est. Ibi
cum totos dies precibus se & adhortationibus
mutuis armassent, in pugnam denique proditura
SVSANNA domum concessit. Nec multò post ad-
fuit Maximianus & malis auspiciis amoris ædes
castas necquicquam oppugnavit. Nam rectius
SVSANNA Angeli ductu pugnavit, qui ab ædibus
repulit profanum. Successit Maximiano Imp. Dio-
cletianus, Macedonio missio, qui ad Deorum sa-
crificium velut ad fœdus invitaret tam fortiter
decertantem. Sed nimirum geminum hostem
triumphare etiam hæc SVSANNA debebat. Et verò
triumphavit, rectiusque Deo ipsam humi affli-
ctam dæmonis statuam sacrificavit. Mox eidem
post multa verbera gladio cæsa sanguinem etiam
suum litavit. Istum peplo suo excepit Serena, do-
mumque veluti ingentem thesaurum reportavit.
Et reverà purpuram, qualem nunquam antehac